



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Mutatio habitus debiti & conuenientis vitiosa est, nisi causa rationabilis
interueniat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Gulæ peccatum. 305

*Gula quid dicatur, & an semper
sit peccatum.*

Gulæ peccatum consistit non in hoc quod cibus
delectabilis delectabiliter sumitur: quoniam hoc
nullum peccatum est: nisi quis sit a deo insipiens, ut
putet omnem voluntariam delectationem sensibilem
esse peccatum. Sed consistit in hoc quod inordinate
delectatio cibi appetitur aut habetur: puta quia plus
aut prius &c. quam deceat delectatione cibi affici-
tur homo.

Et tunc solum est mortale quando delectationem
cibi habet quis pro ultimo fine, iuxta illud, *Quorum
Deus venter est.* Hoc autem cognoscitur ex hoc quod
homo ob delectationem in comedendo non curat
transgredi præceptum Dei aut Ecclesiæ: ut sic propter
hoc furetur, aut contemnat ieiunare &c.

Frequenter autem est mortale: & quandoq; valde
de graue: ut cum delectatio cibi alicui ad comeden-
dum usque ad vomitum, aut alia inconuenientia &c
similiter quæ inducit ad alia peccata, puta ad nimium
sumptum, vel ad nocendum propriæ sanitati, & ad
quæcunque alia peccata: quæ secundum se sunt iudi-
canda quanta sint.

*Mutatio habitus debiti & conuenientis
vitiosa est, nisi causa rationabi-
lis interueniat.*

Habitus debiti omisio vel occultatio, nisi ra-
tionabilis causa excuset, peccatum est: quia
contra aut præter rectam est rationem. Quinque
autem habitus differentias debitas in communi
conuersatione humana inuenimus. Prima est, cir-
ca differentiam maris & foeminae. Et constat pecca-
tum esse maris in habitu foemineo, aut e contrario

306 Habitus mutatio.

conuersari, & in Deuteronom. cap. xxii. prohibetur vt abominabile domino, & in decretis dist. xxx. anathema fit mulier virilem induens vestem. Verum hæc intelliguntur, quando pro superstitione aut luxuria fiunt. Vnde si in laruis aut comædijs hæc fiant, transire possunt. Sed in continua conuersatione non est permittendum: quia contra bonos mores & custodiam castitatis communis est. Et nisi ab episcopo moniti sub pœna excommunicationis desistant, excommunicandi sunt & eijciendi de conuersatione humana. Secunda est, circa differentiam clericorum & laicorum. De qua vide supra in verbo, clericus. Tertia est, circa differentiam religiosorum & aliorum. Et quantum ad religiosorum dimittendum habitum, peccatum, vide infra in verbo, religiosus. Quantum ad aliorum peccatum, qui religioso habitu in laruis vtuntur, distinguendum est an fiat laudabilis representationis gratia: quia tunc non est peccatum, aut in religionis vel religiosi ludibrium: & tunc ratione iniuriæ notabilis est peccatum mortale, aut sola vanitate: & tunc vana transire potest, si secundum veritatem non irrogatur iniuria alicui notabilis.

Quarta est circa differentiam Christianæ fidei ab aliis fectis: puta Iudæis, Mauris, &c. Nam si differentia certa distinctiua Christianorum & aliorum est, ita vt quilibet vtens tali habitu fateatur suam fidem: mortale esset peccatum Christiano deferre habitum Iudæi aut Mauri. Nec sic erat tempore quo beatus Sebastianus sub militari habitu degebat, ita quod ex eius exemplo non licet ex causa quacunque in casu proposito contrahere, puta Christianum deferre super vestes characterem O, ex aliquo timore, vbi hoc est proprium signum Iudæorum, quonia hoc nihil aliud est quam ex timore fateri se Iudæum. Nec est simile de clerico qui ob timorem iter agit in habitu
laicali

laicali: quoniam etiam explicitè tunc negare se clericum, non nisi officiosum mendacium est.

Quinta est, circa differentias statuum personarum, nobilium vel ignobilium, &c. Et huius violatio ad immodestiam pertinet. De qua infra in verbo, ornatus.

Peccatum an possit in hastiludio committi.

HAstiludium (quo pro exercitatione bellica, aut pro solennitate festivæ alicuius iucunditatis regiarum armati equites duo contra se inuicem currunt cum lanceis) ex suo genere peccatum mortale non est: quia in eo cum interuenit ut in pluribus mors, aut mutilatio, aut quodcunque notabile personæ nocumentum: huiusmodi enim ludi ex hac sola causa perniciosi sunt scilicet ex nocumento personali. Et propterea si verum est quod supponimus (scilicet quod ut in pluribus non accidat homini nocumenti periculum) hastiludium & quicumque alius ludus militaris habens talem conditionem damnandus non est: quoniam actus humani ex eo quod ut in pluribus inuenitur, iudicantur. In cuius signum torneamenta damnantur, quia sæpe inde mortes proueniunt: ut patet extrâ de torneamentis. cap. felicis.

Peccatum infidelitatis quibus modis committatur.

HAeresis crimen est infidelitatis, ex tribus constans: scilicet errore in iis quæ sunt Christianæ fidei pertinaciter. Et aduerte primò diligenter, quòd tertia conditio requisita ad hæresim (scilicet obstinatio) non sic requiritur, tanquam non sit hæreticus, nisi qui sit inflexibilis & immutabilis: sed sic exigitur quòd homo vult in iis quæ sunt fidei sic credere, non obstante quod Ecclesia oppositum decreuerit quantum ad manifesta, aut decernere quantum ad ambigua.

V

bigua